



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

XVI. Das Kloster in Leitzkau verspricht auf die einmalige Zulassung zur
Wahl eines Bischofs sein Recht für künftige Fälle zu gründen, den 12.
Januar 1279.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

XV. Heinrich Bischof von Brandenburg schenkt dem Kloster Leitzkau eine Getreidehebung aus Meterne zur Besserung des Biers der Klosterbrüder, den 18. Juli 1275.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Amen. Humanae actiones a memoria hominum laberentur, si non litterarum testimonio firmarentur. Fideles etenim testimonium habet scriptura quae interuentibus hominibus, ea quae sibi commendantur non sinit aliquatenus interire. Hinc est quod nos Henricus, Dei gratia Brandenburgensis Episcopus, notum esse volumus uniuersis tam praesentibus quam futuris, nec non attestacione praesentium publice protestamur, quod relatione veridica percipientes, deinde experientia per nosmetipsos discentes Canonicos famulantes die noctuque beatae ac gloriosae virginis Mariae in ecclesia Lezekensi cereuisiam habere adeo tenuem, quae humanae naturae exitit nimis inconueniens ad hibendum, Super quo moti non modica pietate, eisdem Canonicis duos choros tritici singulis annis, et proprietatem eorundem in villa Meteren ad emendationem cereuisiae conferimus pleno iure perpetuo possidendos, ut iam dicti Canonici recepta corporali refectione eo melius et commodius valeant divinae laudis obsequia celebrare. Volentes ut de praedicto tritico facta permutacione in brasium per circulum anni brasio nunc deputato ab ecclesia Letzekensi ad braxandum, pars brasii quod in praesenti donamus apponatur in singulis braxationibus secundum aestimationem fidelis dispensatoris. Nichilominus prohibentes sub obtentu praedictae annonae, ne ad alios usus applicetur, nec venditioni vel alienationi aliquatenus exponatur. Vt autem haec nostra donatio per nos et successores nostros in perpetuum inuolabiliter observetur, praesentem paginam per manum Hildebrandi notarii nostrae curiae plebani in Klefick Havelbergenensis diocesis, sigilli nostri munimine, ex certa nostra scientia iussimus roborari. Hujus rei testes sunt Johannes Decanus Stettinenensis ecclesiae, Lodewicus Vicepraepositus in Berlin, Magister Wolterus Plebanus in Segezere, Sifridus Capellanus noster in Lubas, Otto Miles frater noster dictus de Olthernn, Johannes advocatus noster in Metern, Engelo advocatus in Pritzerwi, caeteri quam plures. Datum Gottow Anno Domini M^o. CC^o. LXXV. XV. Kal. Augusti, Pontificatus nostri XII^o.

Auscultata est praesens Copia per me Arnoldum Kramptzo Clericum civitatis Halberstadensis publicum sacra Imperiali auctoritate Notarium, et concordat cum suo originali sigillato quod attestor manu propria.

Aus einer Copie des 16. Jahrhunderts im Dom-Archive zu Brandenburg.

XVI. Das Kloster in Leitzkau verspricht auf die einmalige Zulassung zur Wahl eines Bischofs sein Recht für künftige Fälle zu gründen, den 12. Januar 1279.

Uniuersis Christi fidelibus praesens scripturum visuris Thidericus, dei gratia praepositus, totumque capitulum ecclesiae Litzeckenfis salutem in eo, qui est omnium vera salus, recognoscimus et tenore praesentium protestamur, quod ad electionem in ecclesia Brandeburgensi celebratam, quae per mortem venerabilis patris domini Henrici episcopi vacabat, admilli sumus tali sub conditione, ut in aliis electionibus celebrandis nihil nobis juris plus quam haecenus accretat in quo ecclesiae Brandeburgensi in suo iure possit fieri detractio aliqualis. In cuius rei eviden-

tium sigillum nostri praepositi atque capituli praesentibus duximus apponendum Datum et actum in ecclesia cathedrali Brandenburgensi, anno domini M^o. CC^o. LXXIX, feria IV. infra octavam Epiphaniae.

Aus einem Brandenburger Copialbuche. Gercken's Stiftsbist. 484.

XVII. Heinrich, Magdeburgischer Domherr, Johann, Ritter und ihr Bruder Theoderich, genannt von Grünberg, überlassen den Kalandsbrüdern und durch diese der Kirche und dem Capitel in Leizkau das Patronatrecht über die Kirche zu Gerden mit 8 Hufen Landes in der wüsten Feldmark Petz, am 1. Mai 1296.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Hynricus Magdeburgensis ecclesie Canonicus, Johannes Miles, Theodericus fratresque dicti de gronenberg vniuersis presentibus et futuris in perpetuum. Prouida fuit deliberatione prouisam, vt ea que rationabiliter statuuntur et ab auctoritate procedunt Scriptis et testium Subscriptionem roborentur, Ne aut lapsu temporis a Memoria hominum euanescent aut veritatis processus per falsitatis simenta valeat impugnari; Ideoque notum esse volumus vniuersis christi fidelibus Tam presentis temporis quam futuri; Quod nos pro salute et remedio animarum nostrarum fratribus kalendarum et per eos Ecclesie et capitulo in lezeka dedimus et perpetuo possidenda presentibus litteris donamus Jus patronatus Ecclesie in Gherdene et proprietatem Octo manforum sitorum In petz apud eandem villam Gherdene cum omnibus attinentiis et Juribus vniuersis in districtu Eorundem honorum contentis, nobis nichil omnino Juris referuantes In Eisdem. Verum licet, predictis fratribus kalendarum Jus patronatus Ecclesie In Gherdene libere dedimus propter deum, Ipsi tamen fratres pro octo manforum proprietate predictorum Nobis viginti Marcas Stendal. argenti dederunt et persoluerunt. Addicimus Igitur et testamur, Quod eo tenore et conditione huiusmodi donationem et venditionem fecimus fratribus kalendarum et Ecclesie lizeka, Quod Jus patronatus et vsus proprietatis octo manforum predictorum remaneat plenarie apud fratres kalendarum et ecclesie lizeka, quamdiu eadem fraternitas perdurabit. Si vero aliquo casu quod deus auertat solempnitatem huiusmodi fraternitatis kalendarum cessare contingeret, Tunc ius patronatus ecclesie In Gherdene et proprietas octo manforum libere remanebunt penes ecclesiam lizekensem. Cum autem Ecclesiam In Gherdene vacare contingit, Decanus fraternitatis, qui pro tempore fuerit, ipsam conferat viro ydoneo de fratrum consilio et consensu nec prepositus uel Capitulum lizekense plus Juris in collatione ipsius Ecclesie, quam alius de fratribus sibi poterit vsurpare. Promissimus insuper fratribus kalendarum et Capitulo lizekenfi pro omnibus nostris heredibus, quos nunc habemus et in posterum habituri sumus, quod dictam donationem et venditionem ratam habebunt et omni Jure et cuiuslibet Juris beneficio tam canonici Quam ciuilibus renuntiabunt, Quod ipsis competit vel competere possit sibi poterint vsurpare In bonis supradictis. Promittimus Etiam quod si alicui ex nobis tribus fratribus antequam heredes nostri ad annos discretionis perveniunt decedere contigerit, quod absit, alium fideiussorem ydoneum loco ipsius defuncti ponemus, Quo predicti fratres et Capitulum lizekenfis Ecclesie sint contenti, et ad hec facienda nos presentibus obligamus. In quorum omnium euidentis testimonium eandem litteras pura voluntate exinde confectas sigillorum nostrorum munimine roboramus et memoratis fratribus kalendarum et Ecclesie lizekenfi Dedimus ad cautelam. Ego quoque Theodericus, qui